

Ias omnes fugillaverit, in hanc solam non est ausus manum mittere, quia sua illam Brevitas defendebat. Quotidiana, ajunt, eandem complecti, nec quicquam habere, quod edificare nos possit. Quasi vero non et in aliis Epistolis humanae imbecillitatis exempla proferrentur, invenirenturque passim remissius quotidiana sermone dictata. Qui vero Epistolam simplicitatis arguunt, suam videntur imperitiam prodere, non intelligentes, quid in singulis sermonibus virtutis et sapientiae lateat. Quae nimurum suo infra loca a nobis signabuntur. Parva sunt, inquiunt, superflua sunt, pro uno nempe Viro conscripta. Utinam vero, inquit Chrysostomus, non defuisse, qui nobis Apostolorum Historiam diligenter tradidisset, non tantum quid scripserint, quidque locuti sint, sed ut sese per omnem vitam babuerint, quid et quando comedederint, quando sederint, et in quibus partibus vixerint, quam introierint domum, quo navigaverint, ubinam applicuerint, atque omnia diligentius exponeret, adeo illorum omnia eximia utilitate referuntur. Qui post excellentes Epistolae doctrinas: nihil, quantumcumque vile videatur, negligendum esse; de nullius hominis salute desperandum; Servos a Dominis praetextu Religionis non abstrahendos; non esse despiciunti habendos servos frugi & virtute insignes, aliasque subjungit. Postremo ne quid desir, quod ad confirmandam Epistolae Autoritatem faciat, eandem et cunctis in toto orbe Ecclesiis fuisse suscepimus, disertis verbis Hieronymus profiteretur.

§. 6. De Philemone hac produnt Antiqui. Ambrosius, vel quisquis est, qui sub hoc nomine latet, in Praefatione: Philemon nulla erat Ecclesiasticae Ordinationis praedictus dignitate, sed Vir laudabilis, unus ex pl. be. CHRYSOSTOMUS in argumento Epistolae: Erat Vir fidelis ac nobilis. Addit virtutes ejus ex eo elucere, quod tota dominus ipsius Ecclesiæ titulo nobilitetur, & quoddam quasi fuerit Sanctorum diversorium. Theodoretus in Argumento: Philemon erat ex numero eorum, qui crediderant. Theophylactus: Ab ipso principio conspicuus erat Vir et admirandus, genere sane Phryx, fidelis autem vita et moribus et necessitatibus Sanctorum succurrens, et elemosynas faciens. Quae & Oecumenius repetit, praefatus nescio